

Zur Auswahl des Fachpersonals

1. Qua de re, iudices, magnopere vobis providendum est: Pertinet hoc ad summam rem publicam et ad existimationem ordinis nostri salutemque sociorum. 4. Si enim innocentes existimari volumus, non solum nos, sed etiam nostros comites praestare debemus. 5. Primum omnium opera danda est, ut eos nobiscum educamus, qui nostrae famae capitique consulant; deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiae fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus, semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur. 6. Africani est hoc, hominis liberalissimi, verum tamen ea liberalitas est probanda, quae sine periculo existimationis est, ut in illo fuit:

7. Cum ab eo quidam vetus adsectator et ex numero amicorum non impetraret, uti se praefectum in Africam duceret, et id ferret moleste, "Noli"¹, inquit, "mirari, si tu hoc a me non impetras. Ego iam pridem ab eo, cui meam existimationem caram fore arbitror, peto, ut mecum praefectus proficiscatur, et adhuc impetrare non possum." 8. Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salvi et honesti esse volumus, ut eant nobiscum in provinciam, quam in beneficii loco deferendum (est).

(Cicero wendet sich an Verres)

9. Sed tu cum et tuos amicos in provinciam quasi in praedam invitabas et cum iis ac per eos praedabaris et eos in contione anulis aureis donabas, non statuebas tibi non solum de tuis, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam?

1 *noli* + Infinitiv = verneinter Imperativ